



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 1. Iouis in taurum mutati fabula in rege Nabuchodonosore historia facta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

## CAPVIT X.

Quantum ex rege Nabuchodonosore, &  
ob qua peccata, monstrum fa-  
ctum sit?

§. I.

Ionis in taurum mutata fabula in rege Na-  
buchodonosore historia facta.

**H**actenus pœnam minùs atroci-  
bus peccatis monstrositate re-  
positam palam fecimus: nunc  
maioris monstri maiora delicta prodigiosè  
punita è diuinis litteris producemus.  
Apud Poëtas, monstrum ingens erat Ina-  
chi filia Io in iuuenecam mutata; & gran-  
dius Iuppiter ipse, qui illam fingitur mu-  
tauisse. Nimirum

Quid. l. 1.  
Met.

Idem. l. 2.  
Met.

Sceptri gravitate relicta

Ille pater rectorq; Deum, cui dextratri-  
sulcis

Ignibus armata est, qui nutu concutit  
orbem,

Induitur faciem tauri, mistusq; iuuen-  
cis

Mugit, & in teneris formosus obambu-  
lat herbis.

Formo.

Formosusné fuerit Deus, & vt fingitur supremus Deorum, in taurum abiectus, nemo est, qui credat; immò nec rem ipsam credimus. Fabulæ, apinæ, tricæq; saperdarum. Vera audite, de magno rege, qui de se ipso, omnibus populis, gentibus & linguis, qui habitant in vniuersa terra, scribit: Ego Nabuchodosor quietus eram in domo mea, & florens in palatio meo; narratq; fatidicum calamitatis suæ somnium, in quo audiuit vocem Angeli fortiter clamantis: *Alligetur vinculo ferreo & aereo in herbis, quæ foris sunt, & rore cali tingatur, & cum feris pars eius in herba terra. Cor eius ab humano commutetur, & cor fera detur ei: & septem tempora mutantur super eum.* Quæ hæc mutatio? quod somnium? Hæc est interpretatio sententia Altissimi, qua peruenit super Dominum meum regem, ait Daniel. *Eijcient te ab hominibus, & cum bestijs ferisq; erit habitatio tua, & fœnum vt bos comedes, & rore cali infunderis: septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias, quod dominetur Excelsus super regnum hominum, & cuicumque voluerit, det illud. Omnia hæc venerunt super Nabuchodonosor regem. &c. Et ex hominibus abiectus est, & fœnum vt bos comedit, & rore*

Dan. 3<sup>o</sup>  
98.  
Idem c. 4<sup>o</sup>  
1,

& rore cali corpus eius infectum est; donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & unguis eius quasi animum.

## §. II.

Quanta in Nabuchodonosore facta sit metamorphosis?

Hæc quanta regis fuit metamorphosis? Cor eius ab humano in cor fera commutatur, & ex sapiente fit amens. Pro torquibus, armillis, & annulis, vinculo ferreo & aereo alligatur. Quando enim in amentiam versus cœpit delira fari, atque insanire, mox ne sibi & alijs noceret, compedibus astrictus fuit, manicisque vinctus & inclusus. Denique autem monitu Danielis solutus compedibus, ex regia domo, & palatio suo, in quo floruerat, aufugit in silvas, retentis manicis ferreis in manibus, ne illæ coniungi possent, neque ijs vteretur ut homo, sed ut illis disunctis reperet ad herbas more bestiarum. Idcirco enim dicitur: *Alligetur vinculo ferreo & aereo in herbis.* Itaque, qui erectus antea incedebat, postea deiectus coactus est repere; qui prius sub auratis tectis habitabat, postea debuit manere sub Ioue frigido; qui prius tot satrapas & magnam aulicorum turbam coronam-